

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 15. Februarij.

M. JOANNE BAPTISTA FERRAND, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ad vitam benè ſalubritèrque ducendam aqua vino præferenda?

I

HOMO rerum rex, non quidem origine, ſed mulctâ mortalis, non citiùs incipit fieri vivere & naſci, quàm mori, propter eum, quem in dies patitur, perennis ſuæ ſubſtantiæ effluxum; edax quippe calor humidum connatum, cui inſedit, continuò depaſcitur, quòd aſſumpta quævis vel laudabiliſſima reparare minùs poſſunt; ad protrahendam ergò vitam pabuli multa eſt neceſſitas, non ad mortem declinandam; duplex illud meritò agnoſcitur, ſolidum unum, alterum liquidum, ad quæ duo proſequenda, totidem natura velùt incitamenta dedit famem & ſitim; hæc cibum adpetit, quò ſiccioris ſubſtantiæ effluuium reſtituatur, illa potum, quo humidioris jactura reparetur; ad utrumque guſtus invitat, cui ſumma innata fuit voluptas, quâ toties edendi neceſſitas, totieſque iterandus labor, compenſari aliqua ratione poſſet; cibus por-

rò & potus quò ſimplicior, eò convenientior: pane igitur & aquâ fœlix duceretur vita, niſi ingluvies ad compoſitiora viam aperuiſſet; ab eâ certè petenda tot varia morborum genera, quæ in genus humanum tam atrocitèr ſæviunt; primi namque homines diutiſſimè vivebant, non tam quià puriori cœlo, quàm quia ſimpliciori utebantur edulio; non tanta eſt cibi, quàm potus neceſſitas; hinc fames ſiti longè tolerabilior; ſitis quidem urit, fames premit tantùm; undè faciliùs eſt repleri potu quàm cibo, cùm ille citiſſimè rapiatur ad partes per vias patentiſſimas, quod cibo negatum, niſi poſt aliquam in ventriculo moram.

II.

ALIMENTI neceſſitas omnia æquè urget animalia, quibus tamen vegetior eſt calor, illis major ciborum copia admovenda; ut pulchra & commoda ſtet ſanitas, calore metiendus eſt cibus, qui ad ingenij mores & acumen non parùm confert, cùm intima fieri debeat corporis ſubſtantia; at cibus aſque aqua noxius omninò, tantum abeſt ut juvet; torreretur quippe potiùs quàm coqueretur, niſi liquoris beneficì virtute temperaretur; aridum humidi loco accederet, ſi nudus iret ad partes, fatúmque ſic acceleraretur; ità profectò ad vitam animantium corpora aquâ perfundi amant; ſed ſi aſſumptum illa juvat cibum, pariter & aſſumendo conducit; panis ciborum optimus, & qui ſolus ſufficeret, aquæ beneficio fit edulis; molâ teruntur grana, at quæ prodit inde farina, niſi aquâ priùs dilueretur, fruſtrà manu ſubigeretur, fermento excitaretur, & in clibano coqueretur; hæc, ſi optimam quæris, ſincera ſit & defœcata, omnis qualitatis expers, dulcis & jucunda guſtui, conſiſtentiâ tenuis; quæ citò caleſcat & refrigeretur, ventri & hypochondriis minimè gravis, qualis pluvialis, tonante Deo, præcipitata, vel fontana ab oriente ſcaturiens per ductus puriſſimos, vel fluvialis curſu admodum rapido levior & exercitata.

III.

LIQUOR hic argenteus Mundo coævus, omnibus animalibus notus, longè vino ſalubrior eſt, & naturæ nôſtræ optimè conveniens; cibi vehiculum eſt familiariſſimum, ſitim, vel quam Bacchus inducit, ex facili ſedat, caloris corpus adminiſtrantis exceſſum temperat, humidi primigenij natu-

ralem, vel ejuſdem à mero factam diſſipationem, eam remorando reparat; viſcerum ariditatem prohibet & ſanat; coctioni cuilibet, quæ elixationi ſimilis eſt, inſervit, quam vinum ſuo fervore conturbat; nativum calorem coctionis authorem promovet; cibos in ventriculo diluit & permiſcet, confectoque cibo utilem ſuccum ſecernit ab inutili, non ſecùs ac aqua calida, oleis tritis, oleum ab amurcâ ſeparat; ſuccus autem utilis aquâ comite, quoquoversùm per meatuum flexus deducitur, & in anguſtiſſimas quaſque partium venulas penitiùs infertur, per oſcula & cæca foramina, roris modò percolatur, in omnem partis ſubſtantiam deciduus allabitur, per omne ſpatium diffuſus combibitur, glutiniſque modò firmiter adhæreſcit, donèc tandem aſſimilatus uniatur? Quid plura, partes ſupervacaneis recrementiſque expeditiùs, ejus miſcela, liberantur, quæ omnia aut vix, aut malè fierent, ſi aquæ beneficentiſſimæ vices vinum ſubiret.

IV.

VINUM cruor eſt terræ, naturâ ſuâ calidus & ſiccus, qui proindè vitæ, quæ in caloris & humoris commenſuratione conſiſtit, contrarius eſt omninò & inimicus: ex maturis ille uvis expreſſus, ab ebullitionis fervore ſuperbior, in eos qui pro Deo gulam & ventrem habent, velùt amor in effœminatos & deſides, tyrannidem exercet; mendacibus tamen deliciis potantes deludit, quas citiſſimè excipit majus incommodum; nonnè idcircò voluptuarium venenum ſuo merito cenſeri debet, quod vel parvâ copiâ epotum, ignem igni addendo, totum corpus incendit? quò plus bibitur, eò plus nocet, & quam, vel indito nivali frigore, extinguere deberet ſitim, quæ frigidi & humidi appetitus eſt, eam perpetuis caloribus intendit, ſiccitate humidum vitale lædit, craſſitie ſubſtantiæ & fæcibus obſtructiones parit, omnium ferè morborum cauſas, bilem vel facit, vel accendit, dùm ſe ipſum in bilem convertit, caput animæ domicilium fumis lancinantibus impetit, Cephalalgiam, Vertiginem, Veternum, Apoplexiam, Paralyſim, Febrem accerſet, tandémque ſtupiditatem & inſaniam advocat miſerabili ſucceſſione; horum præcurſores malorum ſunt, manuum, oculorum, & linguæ mordacioris petulantia effrænis, turpis vomitus, nervorum tremor, ſenſuum retuſio vel abolitio, virium collapſus;

quæ omnia nullo alio remedio prævertere vel emunctiſſimæ naris Medicus poterit, quàm, vino poſthabito, ſalubri aquæ laudabilis uſu.

V.

AQUA igitur ſola, Palladis nectar, & lac terræ, nutrix humani generis, in perpetuis debet eſſe deliciis ei, qui ſanitati conſultum voluerit; unicus prudentiæ potus illa ſit, quæ omni & ab omnibus ſæculis convenit animali; quæ omni hominis ætati ſaluberrima, quocunque altero potu liberaliùs & copioſiùs poteſt ingeri, omnique alio, facilior, amabilior & innocentior debet reputari. Hæc ſola balnea componit ad ſanitatem, fucus eſt oris innocuus, ſomnum vel intùs aſſumpta conciliat, vel extùs ſuo murmure adducit, pharmacum eſt omnium ferè affectuum, vel ipſius, ſi poſſibilis eſſet, immortalitatis; abſque illâ hâc aquâ, vitæ mors eſt vita, quæ animi deliquiis confert, ſenſus penè extinctos reficit, menti perditam vino ſanitatem reddit. Ut valeas itaquè mente, corporeque vigeas, quæ vita beata eſt, vivas abſthemius; nam ut puritas omnis vino madida corrumpitur, ſic mens ab eo libera, fœdis cupiditatibus non inquinatur; aqua ſola ſit omnium horarum potus, omnium epularum anima, quâ nihil ad vitam fœliciter ducendam conducibilius, quâ nihil ad corporis & animi bonam valetudinem diù continendam acceptiùs, aptiùs & optabiliùs bona rerum mater natura mortalibus impertiit.

Ergo ad vitam benè ſalubritérque ducendam aqua vino præferenda.

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS MARILLIER, Neocaſtrenſis, A. R. S. H. MDCLXXIV.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſt. Archiepiſcopi Typographi.